



# HADRIANVS CAR DINALIS SANCTI CHRISO GONI CAROLO PRINC PI HISPANIARVM, SALVTEM.



ONSYDERANTI mihi  
in hoc meo secessu, Princeps  
maxime, genus latine loquē  
di, quod circa magni Cicero,  
nis tempora politum, niti  
dum, candidū, naturali qua  
dam copia, felicitatēq; proue  
nit: nihil admirabilius uideſ,  
quām eos autores, uiros illos  
quidem omni bonarum literarum, artiumq; genere eru  
ditos, uno propemodum modo, unāq; nativa, germanāq; lingua locutos esse: Piores, posteroſq; ita longe ab  
illo candore abesse, ut non idem Latinus sermo, sed aut

a omnino



2 HADRIANI CARD. AD CAROLVM PRAEFATIO.

omnino dissimilis, aliusūc, aut prorsus mutatus esse uideatur, ut iure dicat Quintilianus: Dicendi mutauimus genus, & post pauca, Quid multis: totus prope mutatus est sermo. Festus uero Pompeius: Latine inquit, loqui, à Latio dictū est: quæ locutio adeo est uersa, ut uix ulla pars eius maneat innoxia. Cum autem mihi tantū nunc oc̄j sit, quantum ante negocij esse solebat, & quod deo acceptum referto, ab omni Reipublicæ cura uacem, quæ res maxime literis deditum animum iam inde à puerō, uarijs officijs, aut potius laboribus, erumiisq; disiunxerat, latini sermonis non uulgarēs, aut circumforaneos locos, sed intimo eorum, quos dixi, autorum sacrario abditos, & uetustate obrutos eruere, & in lucem proferre curauit: tibi c̄q; inscripsi, quem naturæ uis, patrius, auitusq; splendor, & ineuntis feruor adolescentiæ, ut alijs animi, corporisq; dotibus, ita literis quoq; ad spē summam, culmen c̄q; & fastigium maximarum rerum excitat, & adducit. Erat in animo prosequi coeptū iam pridem opus, sacros ueteris instrumenti libros ex Hebraeo ad uerbum in latinum sermonem uertendi. Sed cum me procella temporis in Tridentinas rupes, quo Iudæi ob Simonis cædem ne aspirare quidem audent, detruserit, atq; animus, inquies, nihil agere non posset, hæc sum aggressus: quæ si grauitate, aut magnitudine paria non fuerint, utilitate quidem, ut arbitror, & splendore tuo non minora reddentur, sed ratio, & quædam operis similitudo exigere uisa est, ut commentario lum alium, quem de sermone latino nuper ædideram, ijs quæ postea de modis latine loquendi collegi, quasi cuiusdā præfaciunculæ loco præponerem, Is autē erat eiusmodi.